



DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
 IN
ACADEMIA VITENBERGENSI,
IO. ANDREAS
PLANERVS,
SVPERIORVM MATHEMA-
TVM PROFESSOR PVBLICVS,
PHILOSOPHIAE, ET LIBERA-
LIVM ARTIVM CVLTORIBVS

S. P. D.





E mirari subeat, si ego, qui inter Mathematicos nomen
meum profiteor, me promittam honores hominibus
doctis Philosophicos proximo tempore tributurum,
propterea quod ipsemet non sum Philosophus, cum ue-
tustissimi quique sapientes Mathesin, censu Philosophiae
exclusam, et nescio quibus *προπαιδείας, προπαιδευ-
μάτων, ἐγκυκλίων παιδευμάτων, ἐγκυκλίων θεωρη-
μάτων, ἐπιστημῶν ἐγκυκλίων, ἐγκυκλίων μαθημάτων, προτελείας, κίλυξ,*
nominibus censendas existimarint, quibus nominibus septem illae ar-
tes, quae dicantur liberales: Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmeti-
ca, Geometria, Musica, Astronomia, uenerint, quas absolutas esse ante o-
portuisset, quam uisquam a Graecis Philosophis ad audiendam Philosophi-
am admitteretur. Sed enim Scientia quantitatis et pars est Philosophiae, et ea
longe princeps: eoque errant magis, si qui eandem uel salutare sapien-
tiam nosuerunt, uel certe pro parte minus principe, pro famula, qualique
ministra, ut cum Martiano Capella loquar, Mercuriali, uenditarunt. In quo
numero non tantum fuisse Philosophi antiqui, si unum forte excipiamus
Ammonium cum asseclis, ad unum omnes, qui quidem Mathematica ma-
gno alioquin aestimantur, sed multi etiam de recentioribus uidentur. Ex anti-
quis Pythagoras ipse Samius, qui primus et se appellauit Philosophum, et
artes Mathematicas ex Aegypto in Graeciam intulisse fertur, nonneminem, ut
Porphyrus in eius uita reliquit scriptum, in disciplinam admittebat, nisi si
quis antea Mathematica didicisset. Neque secius fecerunt discipuli, et suc-
cessores, sicut uel Diui exemplum Iustini comprobat, quippe qui dialogo,
quem cum Tryphone quodam habuit, istaec scribit: *Ad Pythagoricum
quendam, eundemque magni nominis, multisque in sapientia superciliis, ac-
cessi uirum, et cum eo, auditor eius, ac discipulus esse uolens, egi. Ibi: Quid?
inquit ille: Veritasne es in Musica, et Astronomia, et Geometria? An exi-
stimas, quaequam te perspicere eorum posse, quae ad beatitudinem con-
ducunt, nisi haec prius cognoueris, quae animum a sensibilibus ad intelli-
gibilia percipienda aptum, accommodatumque efficiunt, ut illud ipsum,
quod pulchrum, et quod bonum est, contemplari queas? Quae ubi se lu-
stinus nescire fateretur, Pythagoricus eum re infecta dimittebat. Mathe-
maticae igitur scientiae, quemadmodum ex ante dictis liquet, gradus quasi
quidam, scilicet ad Philosophiam uisae Pythagoraeis, aut uerbo Philonis,
Iudaei doctissimi, *προσομία της Φιλοσοφίας* habitae fuerunt. Neque a Py-
thagorae, Pythagoricorumque instituto alienus Plato fuit, qui, tanquam in
rebus plerisque aliis, sic in hac parte, Samium secutus, initium philosophan-
di a rebus fieri Mathematicis praecepit, quas modo *προπαιδείαν*, modo *κα-
τὰ παιδευσιν ὁδὸν* uocauit: idemque in foribus Gymnasii uerba haec legi uo-
luit: *Οὐδείς ἀγεωμέτητος εἰσίτω.* Xenocrates autem, qui Speusippo, ut
hic ipsi augustissimo Philosopho, successit, nonneminem, se audire uolen-
tem, cetera Geometriae, et Astronomiae ignarum, abire iussit, his uisus, quae
Suidas commemorat, uerbis: *Οὗτος πῶς ἔμοι πάρος ἔ νικάσεται, Hoc uel-
lus apud me non carminatur.* Idem autem Mathematicas uocauit *λαβὰς της
Φιλοσοφίας*, capula, seu ansae Philosophiae, testibus Plutarcho, et Laetio.
Aliis Platonis sectatoribus *ἡλιμακίς, καὶ ἐπιβαθερά*, hoc est, gradus, et sca-
lae audiuerunt, quibus ascenderetur *Ἰνὰ τὴν αἰετὴν, καὶ ὡς τὴν ἑξ ἄνω*, quae
uerba sunt Aсклеπί Tralleani. De Porphyrio addo, in orbe disciplinarum nu-
merare Grammaticam, Rhetoricam, et Mathematica: hisce autem disciplinis, ran-
quam apicem quandam, ac fastigium, adiungere Philosophiam. Neque diuer-
sum a Platonis, Platonicorumque haeresi sensit Aristoteles, nouae conditor scho-
lae, multisque alioquin in rebus a magistro dissentiens: id quod uel ex libro Ec-
thicorum sexto cognosci potest, in quo loco uult, iubetque Stagirita, ut iuuenes
Mathesi*

Mathesi prius, quam Physica, aut Sapiencia imbuantur. Quam Philosophi sententiam arripuerunt Peripatetici, quibus et Cynici, et horum postea exemplo Stoici assensu sunt: et hi eo magis, quod uix aliam, praeterquam morum, Philosophiam agnouerunt, utpote qui negauerunt, ullam scientiam partem Philosophiae esse, quae nihil praesidii ad bene, beateque uiuendum afferret: eoque loco, numeroque Mathesin, quemadmodum in epistolis legimus Senecae, habendam putauerunt. Viris haece omnibus adiungam Clementem Alexandrinum, omnium eruditissimum illum Ecclesiae patrem, qui: *Quidam*, inquit, *quodammodo* *philosophiam, contempserunt dominam philosophiam, et ex ipsi alii quidem conseruauerunt in Musica, alii in Geometria, plurimi uero in Rhetorica: Clementique patrem addimus Hipponensem, quem hoc minus miramur, castra secutum Peripateticorum, Mathesin a Philosophia exclusisse, quod, disciplinas enumerans Philosophicas, uel ipsam rerum naturalium scientiam praetermisit. Iam si quis causam tam mirabilis, tamque monstrosae opinionis mecum perquirat, eam uero uix reperiet fuisse aliam, quam hanc, cum, quod solae olim in adolescentia disciplinae Mathematicae discerentur ruditer, antequam animi ad culturam Philosophiae appellerentur, quod solide ante Philosophiam naturalem discerentur, idque ideo, ut acueretur ingenium, atque ad rerum naturalium, diuinarumque contemplationem mens praepararetur, atque haec redderetur. Atque haec gemina fuit causa, cur certe a Pythagora Mathesis inter *σοφιστικα* Philosophiae referretur. Etenim is et neminem in disciplinam recepit, literarum Mathematicarum ignarum: et iis initiatum, atque quinquennio ab intimis discipulis institutum, intra sionem demum admisit, ut primum ab se Mathemata sublimiora, postea scientiam naturalem audiret. Quae ut paulo altius repeterem, dicendum mihi puto, fuisse Pythagorae dum generum discipulos: *ἑταίρους*, qui et *δυσμαθητικοί*, item *ἀμαθητικοί*, ut et Pythagoritae dici solebant: et *σοφιστικαί*, qui alii nominibus Pythagoraei, Pythagorici, Mathematici sunt appellati. Illi extra sionem ab intimis Philosophi discipulis Politicam, Oeconomicam, et Nomotheticam docebantur: hi intra uelum a magistro ipso et Mathesin solidiorem, et Scientiam naturalem, et Theologiam, rerum aeternarum, diuinarumque scientiam, Metaphysicam, ac Pneumaticam constantem, accipiebant. Vnde Eforerici, sive Mathematici, dicti sunt alii Mathematici proprie, uerbo Porphyrio *προβλητικοί*, itemque *διυρητικοί* *πρὸς τὴν θεωρίαν*, id est, ii, qui ad *θεωρίαν* uergerent, et progressus facerent: alii *θεωρητικοί*, uerbo Gellii Physici, qui, medio loco constituti, per disciplinas Mathematicas progressi, contemplationem ipsam rerum iam instituerent: alii demique *θεωρητικώτατοι*, id est, tales, qui ad summum peruenissent contemplationis fastigium, uerbo Porphyrii *τέλειον θεωρητικοί*, et *αὐθαρητικοί*, id est, religiosi, qui quidem deos, tanquam principia mundi operum, mentesque diuinas, et genios, et daemones contemplerentur. Ex iis iam, quae modo dicta sunt, liquido, opinor, dispalescit, Philosophum Samium non omnem Mathesin ad *σοφιστικα* Philosophiae retulisse, eademque opera a sapientia remouisse; sed popularem, illam, quasiue triualem: minime uero solidam illam, et secretiorem: tantumque abesse, ut Pythagoras hanc a Philosophia exclusit, ut et supra Philosophiam Pragmaticam posuerit, et Philosophiae suae Eforericae accenferet, siquidem Mathematicos in intimis, ac praecipuis suis discipulis, quos in uniuersum omnes *φιλοσοφίαν* uocat Iamblichus, habuisse, immo intimos in uniuersum omnes Mathematicos, latiori uerbi notione, cognominasse memoratur. At discessionem hac in parte faciunt Plato, et Stagiraeus, et utriusque sectatores, et si qui sunt alii iniquiores de grege ueterum Mathefos aestimatores, quippe qui eam profusam, atque omnino, ex philosophicis disciplinis proscriptam, exterminatamque uoluerunt. Aristoteles in Metaphysicis: Scio, inquit, *ἀσφατὰ* *ἴσως*, utrum *σοφιστικαί* *ἢ* *ἀμαθητικοί*, an scientiis annumerandae sint artes Mathematicae: et Mathematicam scientiam numero censeri non posse, quia non substantiam, sed accidens consideret. Quamuis uero Stagira in eorum sententia, qui Mathematis nomen Philosophiae inuident: idque cum eam ipsam, quam modo dixi, ob causam, tum uero etiam propterea, quod ad omnem demonstrationem haec tria requirit: Subiectum, Affectionem, et Principium, inter sese reapse distincta; sine demonstratione uero scientia nulla esse possit: tamen multis nihilominus locis Mathesin scientiam nominat Mathematicas, ut sibi uix satis constare, nisi ille, siue oblitus hoc in genere uideatur. Ante Aristotelem in eadem haeresi uerfatum esse Platonem, nemini latere poterit, quicumque libros eius de re publica conscripserit, inspexerit, ubi et Mathematica inter scientias locum possidere negat, et, non propter se, sed propter aliud expeti, palam, diserteque profiteretur. De recentioribus quibusdam uiris, nominatim G. I. Vossio, et Michaelae Piccarto, uiris ce-*

tera multo maxime doctis, qui Mathesin et Polymathiae assignant, et Philosophiae non partem, sed ministram esse, censent, nihil addam: illud perquiram nunc potius, quo iure, quae uel iniuria id fieri uideatur. Nobis quidem Ammonii, praeterque Ammonii sectatorum, placet ratio, qua inducti Mathesin inter sapientiae ipsius partes adscripserunt. Sic autem statuit Ammonius, sic una cum Ammonio discipuli, materiam Mathematicae subiecit mediae esse naturae inter Physicam, et Metaphysicam. Physicam enim occupari circa formas, corpori immerfas, ut elementa, plantas, animalia: Metaphysicam circa formas, corporis expertes, ut Deum, intelligentias: Mathesin circa formas, reuera corpori quidem inhaerentes, sed intellectu tamen, et cogitatione abstractas. Tamen si aëro non displicet ista Ammonii ratio: sunt tamen, quae pro dignitate Mathematicae fortius propugnent, argumenta: inque iis uel ipsum genus est disciplinae, quod, nec ipso Aristotele diffidente, est scientia: scientia uero propter demonstrationes, quibus abundat Mathematicae, quarum uero numero disciplinas ceteras uincit omnes. Quid autem est scire? Per demonstrationem cognoscere? Quid demonstrare? Efficere scientiam. Quid scire? Rem per causam cognoscere. Iam omnis scientia pars est Philosophiae: Philosophia autem est nosse diuina, et humana, et utrorumque causas. Tum disciplinis Mathematicis quid certius? Sunt illae totius Philosophiae, sunt omnium humanarum artium certissimae: ut hoc nomine non modo nomen Philosophiae, sed etiam praecipue, praeterque ceteras eiusdem partes, mereri uideantur. Quam multa sunt intricata in Metaphysicis de causa prima, et capitibus aliis? quam multa item obscura, et incerta in uniuersa rerum natura? At in Mathesi omnia tam clara sunt, tamque aperta, et distincta, quam illa, quae in clara luce posita conspiciuntur. Est itaque Mathesis scientia certior non morali soluta, aut ciuili, sed ipsa etiam naturali: quae quidem certitudo a triplici promanet fonte. Primum enim Mathematicus rationes fugit probabiles, firmatque omnia principiis, nobiscum natis, nec, nisi demonstrationes admittit, quas Philosophus uocat omnium certissimas: deinde non iudicio nititur sensus, quippe qui subinde fallit; sed cuncta ad rectae rationis exigat obrullam: contra quam in Physicis fieri solet. Nolim huius scientiae nobilitati quicquam derogatum: sed ramentum, si dicendum, quod res est, non erit dissimulandum, inuicem proferri esse Physices, et Mathematicae rationem. Namque ibi sensui magis, quam rationi credendum: neque rationi habenda fides, nisi congruat sensui: praeter ea anre consulendum sensus, quam ratio, cum rationem quaerere omisso sensu sit, ut Philosophus censet, infirmus ut quaedam intellectus. At Mathesis, sensum nihil pensi habens, omnia, ac singula, ad rectae rationis trutinam examinare conueit. Denique summa gaudet demonstrationum euidentia Mathematicus, et tanta, ut per eas omnia intellectui clariora, quam si rerum naturalium consultus utatur demonstrationibus, reddantur. Quae cum ita sint, uel nunc tandem sole quidem, quod dicitur, meridiano clarius patere existimem, Mathesin non modo partem Philosophiae, sed uel partium principem, praestantissimamque omnium habendam esse. Reuertor itaque ad id, quod caput est, nec uno nunc, sed duplici nomine; neque tantum ideo, quod munere nunc fungor decurionis Philosophici, sed eam quoque ob rem, quod iure, meritoque, etiam Mathematicus, possideo in Philosophia locum, praestantissimos sapientiae cultores ad capebendos honores, in Philosophia summos, et praemia, ac prouincia, in hoc studio meritis, inuitabo. Quod ut faciam, prouincia, tertium mihi data, ratioque muneris praecipit, et hortatur, quam eo potissimum pertinere intelligo, ut proximo anni autumno Viri, aequae ac luuenes, sapientiae studii excultri, lauream Philosophicam, et insignia Magisterii, publica doctrinae, studio indefesso comparatae, signa, ac testimonia, uide, solemniterque a me impetrent, ac consequantur. Quare agite, Viri, et luuenes Ornamentissimi, adeste, date marure nomina, subite certamina, uictoriaeque deinde, et industriae, uirtutisque uestrae mercedem uobis promittite, neque de propensa uel Ordinis mei, uel mea erga uos uoluntate quicquam dubitate. Cum enim me, tum ceteros, qui de studiis nostris una mecum existimare debent, honoris, gloriaeque uestrae studiosissimos, neque minus ad commoda uestra amplificanda promississimos, paratissimosque cognoscitis Interim nostrum omnium intererit DEVM precari immortalem, ut studium nobis conferretur otium, et facta, testaque maneant literarum simul cum religione ornamenta, extinctisque bellorum tot sinefictissimorum incendiis pax tandem Europae redeat exoptata, redditaque daret in perpetuum, quo, tranquillata, ac florente communi patria, studia literarum, bonarumque artium, indies magis efflorescant, nouisque identidem factis incrementis uel in incrementum amplificentur. P. P. ipso anniuersario Mariae sacro, anno reueratae gratiae c l o C C X I.

Ung VI 3

W 18
V 17



ECANVS
 S PHILOSOPHICI
 IN
 A VITEMBERGENSI,
 ANDREAS
 ANERVS,
 RVM MATHEMA-
 OFESSOR PVBLICVS.
 PHIAE, ET LIBERA-
 TIVM CVLTORIBVS
 S. P. D.

